

tibi, sed, omnibus: multo magis, & tibi. Tam explicat, quid significet diligere adventum Christi, & præter alia hoc ait: Qui illius adventum diligit, omnia faciet, ut ANTE UNIVERSALEM illum SINGULARIS fiat ad eum QUIDAM SALVATORIS ADVENTUS. Videtur, ut non solemnem tantummodo Adventum Domini in fine Mundi Chrysofomus admittat, sed alios etiam singulares, nobisque ignotos, in morte videlicet nostra, ut supra & ego monui? Vellem præterea; Burnetus animadvertisset (saltem æquus Lector animadvertat) quæ idem Chrysofomus Homil. v. ad Popul. Antiochen. fermocinatur. Sæpe is contra terrorem mortis auditores suos armat, idque semper facit, ibique præsertim, spe vicinæ Felicitatis, inquit: Quid enim grave mors habet, dic mihi? Num quod te CELERIUS AD tranquillam PORTUM, & pacatam illam TRANSMITTIT VITAM? Tot expectans BONA, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: ad fruendum differs & negligis & torpes? At ille adulabatur, idest mentiebatur: fortassis & heic Burnetus reposuisset. Sed si quis hisce armis adversus Chrysofomi auctoritatem uteretur, peto ego, num dignus in posterum foret, qui Britannicæ gentis magisterium assumeret? Et Religionem, & Libros, & meditationem quamlibet abjiciamus oportet, si Sanctorum calumniatorem si Pyronistam audire volumus, eique fidem adhibere. Ego hæc amatoribus tantum veritatis, justisque rerum judiciis proposita volo. Pergit deinde Chrysofomus dicere in eadem Homilia: Paulus vero propter præsentem gemebat vitam, & Romanis scribens Capite octavo dicebat, quod creatura congenescit, & nos ipsi spiritus primitias habentes gemimus. Ex hæc dicebat, non condemnans præsentia, sed futura desiderans. Gustavi, inquit, gratiam, & non fero Dilationem. Ascendi in tertium Cælum: vidi Gloriam illam ineffabilem: vidi Aulas splendidas: didici, quibus heic immorans Bonis caream; propterea gemo. Dic etenim mihi: si quis te in Regias duxisset aulas, & de parietibus aurum undique fulgens, & omnem alium ornatum tibi demonstrasset: postea te inde in Pauperis cellam induxisset; & Post Breve Tempus in Regias reducturum illis, & Perennem ibi Mansionem se tibi Daturum Promississet: numquid non deberes affici desiderio, & vel ipsos paucos dies ægre ferre? Ergo post breve tempus tum Paulo, tum ceteris Deo in justitia fideliter militantibus, Regia Cælestis conceditur; & nihilominus a beatissima illa sede Paulum adhuc exclusum dicat, & Chrysofomum testem Burnetus appellat. Ad hæc Apostolus in II. ad Timoth. I. 12. ait: Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est, Depositum meum servare in illum diem justus Judex. Burnetus pag. 40. Depositum sumit pro Anima deponenda apud Deum, dum veniat postremi Judicii dies. Quod etiam si accipiamus, nihil nobis officiat; nam apud Deum esse, nobis Beatitudinem sonat, idque tot loca Patrum hæctenus congesta evincunt. Verum ne, quæso, Burnetus sibi aduleatur, veluti sumens certam ejusmodi interpretationem. Norunt enim Eruditi, alia significare Depositum illud apud